


05

A

892





I. N. D. N.
DISPUTATIO METAPHYSICA
De
ANIMÆ RA-
TIONALIS IMMOR-
TALITATE,

Quam
in incluta Academia Salana

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Amplissimi atque Excellentissimi

DN. M. GOTTFRIDI ZAPFFII,
Philosophiæ P. P. Extraordinarii, Dn. Præ-
ceptoris omni honoris & observantiæ cultu
prosequendi,

Publico Eruditorum Examine

exponit

JOHANNES BUCHIUS,

Serveſta Anhaltinus,

AUTOR.

In Auditorio Philoſophorum

Ad d. 28 Maji

H. L. Q. C.

JENÆ
Typis NISIANIS,
M. DC. LXI,

VIRIS

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo,
DN. CHRISTOPHORO à JENA, Jcto
Eximio. Illustrissimi ac Celsissimi Principis ac Domini, Dn.
VICTORIS AMADEI, Principis Anhaltini, Consiliario in-
timo & summo.

NEC NON

Plurimum Reverendo, Clarissimo atq; Doctissimo,
DN. ANDREÆ HESIO, Ecclesiæ Bernbur-
burgensis Pastori, ejusdemque ut & vicinarum Superinten-
denti meritissimo & vigilantissimo.

UT ET

Amplissimis, Consultissimis, rerum Politicarum usu Eximiis
DN. GEORGIO REICHARDO, Præfe-
cto Bernburgensi fidelissimo.

DN. JOHANNI CHRISTIANO HAMELIO,
Prætori Bernburgensi gravissimo.

ITEM

Reverendis, Clarissimis & Doctissimis,
DN. M. GEORGIO ENDERLINGIO, in Ec-
clesia Bernburgensi ad D. Nicolai Pastori meritissimo:

DN. JOH. CHRISTOPHORO HEINIO,
pastori Aldenburgensi fidelissimo.

ET

Clarissimis, Præstantissimis ac Humanissimis
DN. MARTINO QVELMALZIO, Scho-
læ Bernburgensis Rectori solertissimo,

DN. CHRISTIANO MOEBIO, Scholæ
Bernburgensis Conrectori dignissimo.

*Dnn. Patronis, Mæcenatibus, Affini atq; Fautoribus suis perpetuo ob-
servantia cultu prosequendis,*

Hoc Exercitium Academicum gratissimi & æternum de-
vincti pectoris sui, non quale voluit sed quale hoc
temporis & ætatis & ingenii statu potuit, docu-
mentum exhibet.

AUT. OR.



05 A 892

121



§. I.



Erito quis exclamare posset cum Ili-
doro lib. 2. de summo bono: *Quid
miraris ô homo siderum altitudines, ma-
risque profunditatem? Anima tua abyf-
sum intra & mirare, si potes.* Hisce non
obscure indigitatur, animæ nostræ co-
gnitionem difficillimam esse & maxi-
mè admirandam. Quod enim oculus est in corpore, Rex
in regno, gemma in annulo, nauta in navigio, lucerna
in umbraculo, auriga in vehiculo & DEUS in universo;
id anima rationalis undiquaque admirabilis est in homi-
ne. Hanc tractationem verò esse difficiliorem aliis facile
patet: anima enim nostra est res invisibilis, & ad ejus na-
turam sensus nostri non penetrant, omnis autem cog-
nitio nostra incipit à sensu. Sicut verò oculus omnia alia
corpora facilius videt, quàm se ipsum; ita anima nostra
facilius penetrat alia, quàm seipsam. Est tamen hæc ani-
mæ nostræ consideratio necessaria, perutilis ac præstan-
tissima. Exilis enim esset nostra eruditio, si perambulan-
tes animò totū mundum, ipsos nos ignoraremus; circa
externa seduli, & in rebus nostris hospites & planè ru-
des; & negligeremus cognitionem rei, per quam cætera
cognoscuntur. Corpus quidem habemus in multis re-
bus simile bestiis, at anima nostra cognata est spiritibus
Angelicis, & quidem propter immortalitatem, & nisi de
immortalitate animæ nostræ certi essemus, nullum esset
infelicius animal homine, tum propter inquietudinem

A 2

ani.



animi, imbecillitatemque corporis, tum propter indigentiam rerum omnium. Hanc credere non solum necessaria est causa ad Christianam vitam, religionemque tuendam, verum etiam ad politicam peragendam. Nulla enim Respublica posset gubernari neque ordinatè vivere, nisi metu poenæ animis infligendæ post mortem malitia arceretur. Necessariâ igitur cognitione de animæ nostræ immortalitate ducti, constituimus de eâ, in quantum vires nostræ se extendent, discurrere, quem discursum, ut feliciter & cum fructu expediamus, faxit DEUS, qui admirabilia essentia suæ vestigia in anima rationali nobis reliquit.

§. 2. De animæ rationalis immortalitate acturi, nostrum non erit ejus definitionem, ortum & quæ sunt alia inquirere, cum non disputemus de anima rationali in genere, sed in specie de immortalitate ejus; an scilicet anima rationalis sit immortalis?

§. 3. Ambiguitas cum sit mater errorum, illam tollendam esse omninò censemus. Videndum igitur, quomodo hic sumatur vox immortale seu immortalitas. Nos vocem immortalitatis, prout quidem sonat non opponimus mortalitati seu aptitudini moriendi physicè, certum enim est, quòd etiam animæ materiales sint immortales, siquidem mors physica, adeoque talis mortalitas competit solum viventibus compositis, ut adeò de nulla forma possit propriè dici quod moriatur; neque intelligimus immortalitatem subjectivam, quasi vivens, quod animam rationalem habet, sit immortale. Sed intelligimus per immortalitatem incorruptibilitatem non quidem simpliciter, quasi à Deo non possit corrumpi per annihilationem. Neq; tamen hoc solum volumus, pro-

ut

ut opponitur corruptioni, quæ fit in materiam & formam; sed prout omne illud dicitur incorruptibile, quod ab agente physico creatore non potest destrui. Et hæc incorruptibilitas dicitur à subjecto suo immortalitas, quia anima rationalis est quodammodo vivens, etiam quatenus in se spectatur, quatenus independenter à corpore potest actiones quasdam exercere vitales secus ac aliæ animæ.

§. 4. Vocibus ab ambiguitatibus liberatis descendimus ad ipsam rem, ubi quidem alicui dubium suboriri posset, quod disputationem conscribere vellemus de re minus controversa, nimirum de immortalitate animæ rationalis, cum tamen nemo de ea dubitet, & apud nos de fide certum sit; sciendum tamen, quod multi eam negarint non solum extra Ecclesiam, sed in Ecclesia non defuerunt, qui hoc in dubium vocare non erubuerunt. Placet igitur sententiam tum eorum, qui in Ecclesia, tum qui extra Ecclesiam fuerunt recensere.

§. 5. Ad posteriorem classem referimus Sadducæos de quibus Josephus lib. 18. de antiquit. Judaic. c. 2. hæc ponit verba: *Sadducæorum opinio cum corpore simul extinguit animas.* Eusebius lib. 6. hist. Eccles. c. 27. ut & Augustinus ex Eusebio memorat, quod circa annum Domini CC XLV. fuerint quidam hæretici in partibus Arabiæ, qui animam simul cum corpore interire arbitrabantur, neque tamen futuram resurrectionem negabant, aiebant enim animas simul cum corporibus divinitus excitatum iri, & Damascenus in libro suo de hæres. p. 585. etiam meminit hæreticorum, qui hominum animos pecudum animis similes existimarunt, atque una cum corporibus interire dixerunt.

A 3

§. 6. Ad

§. 6. Ad priorem classem spectat Epicuræotum grex, quem multam ex Latinis, quam ex Græcis secuti sunt, quos inter est Lucretius, qui multis argumentis mortalitatem animæ rationalis probare nititur. Plinius in dubio fuisse dicitur, ut & Seneca qui cap. 63. *Fortasse (si modo sapientum vera fama est, recipitque nos locus aliquis) quem putamus periisse, præmissus est.* item Galenus in lib. quod mores sequantur temperamentum corporis, reprehendit Platonem, quod defenderit immortalitatem animæ, in lib. vero de trem. & rig. asserit non decipi eos, qui illam immortalem ponunt. Quid Aristoteles senserit non æque certum est, & variæ sunt Authorum sententiæ de eo. Plutarchus de placit. Philos. c. 11. Cajet. lib. de anima & alii Aristoteli eandem tribuunt sententiam. Plures tamen sunt, qui negant Aristotelem ita sensisse, expressum quoque habemus dictum Aristotelis lib. 3. de anim. c. 5. *intellectum agentem dicit αἰθέρατον καὶ αἰδιον.* quicquid tandem sit de Aristotele nos rem in medio relinquimus.

§. 7. Licet verò extra Ecclesiam fuerint, qui negarint immortalitatem animæ, interim non defuerunt, extra eandem quibus de meliori luto finxit præcordia Titan, qui propugnarunt immortalitatem animæ rationalis, ut Socrates in Phædro Platonis, licet & hunc dubium fuisse appareat ex iis, quæ cicutam bibuturus amicis suis reliquebat. *Tempus, aiebat, est jam hinc abire, me, ut moriar; vos ut vitam agatis, utrum autem sit melius, dii immortales sciunt, hominē quidē scire arbitror neminē.* Cic. 1. Tusc. Asseruisse etiā dicitur Plato in Timæo & ante hos Pythagoras, & ante Pythagoram Pherecydes teste Plutarcho de placit. Philos. & Cic. 1. Tusc. Hinc August. super Ps. 88.

de

*de animi, inquit, immortalitate multi etiam Philosophi gen-
tium multa disceptarunt & immortalem eam esse pluribus &
multiplicibus libris conscriptum memoria relinquerunt. Qui-
bus & nos calculam nostrum adjicimus & statuimus contra
Sadducaeos & Epicuræos, quod anima rationalis sit immorta-
lis. Illi enim putaverunt eam interire statim ac separatur à
corpore, non minus quàm cetera formæ. Ad probandam
verò nostram sententiam in subsidium vocare solent au-
tores tum sacram scripturam, tum rationem sanam.*

§. 8. Illi qui ex scriptura probant ut Poncius & alii,
quod anima nostra sit immortalis, sequentia afferunt lo-
ca. Sap. 3. dicitur: *Justorum anima in manu Dei sunt & non
tanget illos tormentum mortis, visi sunt oculis insipientium
mori, illi autem perpetuo sunt in pace. & Sap. 5. Justi autem
in perpetuum vivent. Eccles. 12. ibit homo in domum ater-
nitatis sue. Matth. 25. iei maledicti in ignem æternum, ubi
sancti in vitam æternam vocantur. Luc. 16. Factum est ut
moreretur mendicus, & portaretur in sinum Abrahe, mor-
tuus est autem dives & sepultus est in inferno. Luc. 23. Do-
mine memento mei, cum veneris in regnum tuum, hodie me-
cum eris in paradiso Matth. 10. Nolite timere eos qui occi-
dunt corpus, animam autem non possunt occidere. Et ex ar-
ticulo fidei de vita æterna, qui stare non potest absque
immortalitate animæ, idem est evidens. & licet hæc o-
mnino probarent id quod probandum erat, potius vi-
debimus tamen quid ex natura possit cognoscere intel-
lectus & quomodo animæ immortalitatem invenire
queat. Deindè etiam hoc monemus, aliquando proba-
ri quidem existentiam animæ post mortem, non verò a-
nimæ immortalitatem, quæ duo sunt diversissima, cum
§. 5. aliqui prius concesserint, posterius negarint, ani-
mas-*

masque per novam reproductionem texturas affirmarint.

§. 9. Antequam rationes è lumine naturæ addamus, placet prius hoc dubium removere, an è lumine naturæ possit demonstrari animam esse immortalem. utuntur Scholastici hic duobus terminis nempe efficaciam & evidentiam, inter quos videtur hoc esse discriminis, quod prior etiam probationi probabili possit competere, posterior verò sit exactæ demonstrationi proprius. Hoc præsupposito posset quis asserere, animæ rationalis immortalitatem posse ex solo lumine naturæ & ab omni revelatione præscindendo efficaciter probari, licet non posset probari evidenter. Verum quid si audeamus etiam evidentem asserere ejus rei probationem, contra Scotum Poncium, aliosque plures, præter probationes alias probabiles? nempe evidens rei demonstratio est, quæ fit per causam, si ergo immortalitatem animæ ostendimus inesse per veram causam seu rationem à priori, promissis satisfecisse habebimur.

§. 10. Promissa demonstratio est hæc. Quodcunque est spirituale ac immateriale, illud est immortale. Atque anima rationalis est spiritualis ac immaterialis. Ergo anima rationalis est immortalis. Est hic demonstrandi modus ejusmodi fermè cum eo, quo in Deo demonstrari solet immortalitas ipsius absoluta per immutabilitatem & sicut ea demonstratio est bona, ita & hæc modò de anima instituta, continet enim etiã affectionem subjectum & veram affectionis causam, ut jam ostendetur ordine. nempe majorem primùm producemus ac stabiliemus. Ex superioribus constat, quod immortalitas hæc non dicat hic incorruptibilitatem simpliciter talem

lem secundū quam anima nec à Deo sit corruptibilis sed potius talem, qua cum generali Dei concursu non sit destructibilis ab alio principio extra-divino. sicut v. g. totus homo destructibilis est. Quoties igitur Major vult probari, ut hæc propositio probetur, necesse est: Quicquid est spirituale illud servato Dei concursu generali incorruptibile est à principio extra-divino. Hanc verò probamus h. m. Si spiritus corruptibilis est ab aliquo principio extra-divino, illud erit vel internum vel externum. Sed neque potest esse internum neque externum, ergo nullum. Major probatur, quia tertium non potest dari, licet enim quidam dicant spiritum esse à se defectibilem, eos tamen hoc ita asserere non crediderimus, ut hoc sine causalitate alicujus principii interveniente fiat. Sicut enim sine principio producente nihil potest fieri, ita etiam sine corrumpente nihil potest corrumpi. Minorem probamus quoad primum membrum. Quòd omne corpus naturale sit corruptibile, plurimaque etiam actu corrumpantur, fit ob causas internas duplices 1. quia in se habent materiam, quæ est radix corruptionis propter appetitum suum ad omnes formas, ut ex Philosopho nemini non est notum. 2. quia contrariæ qualitates in eodem subjecto inveniuntur, quæ tamdiu de superioritate contendunt, usquedum altera vincat, temperamenti justitiam destruat ac ita ipsum corpus interimat, ut quidem in hominibus fieri solet. Plures causas non invenimus. Jam verò tale quid in spiritu dari non putamus. Materiam enim non habet, ut postea ostendemus. Qualitates contrarias potest quidem habere v. g. contrarios habitus, qui tamen non sunt tales nec ita pugnant, ut per ipsam pugnam suo **s**ubjecto ullo modo interitum accele-

B

rare

rare valeant. Quoad posterius membrum itidem Minor
patet. Quia causarum creatarum duo sunt genera, mate-
rialia & immaterialia. A materialibus spiritus corrumpi
nequit, quia materiae in spiritum non datur actio. Quod
verò unus Angelus alterum vel una anima alteram in-
terficere possit, incongruens videtur valde. Imo à fortio-
ri rem probamus quoad causas utrasque. A quibus spiri-
tus non potest produci, ab iis nec potest corrumpi. At-
qui à creatura nulla &c. E. Major est clara, quia ad anni-
hilationem non minor virtus requiritur, quàm ad crea-
tionem. Minor probatur, quia spiritus solum per crea-
tionem producitur, qui producendi modus creaturae nō
competit. Nec habes, ut objicias incorruptibilitatem ser-
vato concursu Dei generali à causis creatis non suffice-
re, hâc enim ratione etiam stellas incorruptibiles fore &
ita immortales. R. conceditur quidem, quòd non appa-
reat ratio, quòd servato concursu Dei generali stellæ non
sint in æternum duraturæ, tamen posito hōc longe ma-
jor est immortalitas spirituum, quàm hâc incorruptibili-
tas stellarum. nam licèt nulla daretur causa naturalis stel-
las corrumpere potis, illæ tamen in se aptitudinem ha-
bent ad corruptionem talem, qualem alia corpora, quæ
de facto corrumpuntur, sustinent, quatenus enim ex ma-
teria & forma essentialiter constant, eatenus etiam ex se
aptæ sunt, ut in eas resolvantur, anima verò rationalis ita
se non habet, sed non solum nullum adest corrumpens
naturale, sed etiam ad corruptionem physicam illa est
inepta. intuper nullum est dubium, quin licèt non à cau-
sis physicis, tamen ab angelis stellæ corrumpi possint,
spiritus verò prorsus nihil habet inter creata, à quo in-
terfici possit. Instas: materia prima h. m. duratione ac in-

cor-

corruptibilitate spiritui erit æqualis, quòd etiã solùm per creationem producibilis & per annihilationem corruptibilis sit. R. conceditur; Ex natura sua æq; durabilis est, ipsius tamen corruptionem de facto futuram ex fide novimus, quale quid spiritui ulli imminere non novimus. Dicis: quædam accidentia spiritualia sunt defectibilia naturaliter, ergò spiritus naturaliter non est incorruptibilis. R. ita argumentantur multi recentiorum, sed inepte, subsumo enim, accidentia materiæ in hærentia sunt defectibilia, ergo ipsa materia. Quæ vero ab accidentibus ad subjectum consequentia?

§. II. Sequitur demonstrationis minor, quòd anima sit spiritualis, quam quidem possemus supponere, tamen ut etiam obtineamus contra eos, qui spiritualitatem negant, eam probabimus. Equidem facilius hoc creditur, quam probatur. Complutenses probant, quia omne quod sit in potentia ad aliquid, careat eo, sed intellectus est in potentia ad materiã intelligendam, ergò ipsam esse spiritualem. Confirmant, si visus haberet in se aliquem colorem, ille impediret quo minùs ullos alios colores videret, ergo si intellectus esset materialis seu haberet in se materialitatem, non posset intelligere alia materialia. *Sed hæc sunt nullæ*, nam sic intellectus nec esset spiritualis, quia est etiam in potentia ad intelligenda spiritualia, imò non esset intellectus, quia est in potentia ad intelligendum seipsum. Videntes Complutenses hanc responsionem negant consequentiam, quia intellectus etiam possit intelligere universalia, quòd non queat potentia materialis, sed nihil ad rem, nam hoc est novum argumentum, non vero prioris confirmatio, manet enim quod aliquid possit esse materiale, etiamsi habeat poten-

tiam ad illud intelligendum. Confirmatio nihil dicit, nam cum colore impediente & materialitate est disparatio, alias etiam oculus nihil materiale videret; quia ipse est materialis. Alii probant spiritualitatem, quia anima rationalis non lædatur ab intelligibili, sicut sensus læditur à vehemente sensibili, cuius rei non sit alia ratio, quàm quia intellectus non sit materialis. Sed neque hæc probatio est alicujus, siquidem phantasia non læditur, nec tamen est spiritualis, causa ergo potest esse in intelligibili, ut non lædat, ut ita non sit in potentia. Adhuc alii probant ab indivisibilitate, quã probationem rejicit Poncius, tamen postea in re ipsa eadem utitur, quando dicit efficacem probationem esse, quia anima sit tota in toto corpore & tota in qualibet parte, quid enim est ita inesse, quam indivisibiliter inesse. Nobis videtur indivisibilitatem æquè obscuram esse. Arriaga dicit causam esse, quia anima sit independens à materia; Hunc pungit Poncius, quia quamvis dependeret à materia, ut benè posset de potentia absoluta, adhuc tamen posset esse spiritualis. Verùm ipse Poncius hic errat, neque enim Arriaga dicit, quicquid est spirituale est independens à materia, sed quicquid est independens à materia est spirituale. Nobis placet omninò hæc Arriagæ ratio, nempe spiritualitatem animæ rationalis ex independentia à materia tanquam à posteriori probamus, & quidē ab independentia in operando. Benè vero hac de re discurret Gassendus, ex cujus prolixo discursu hæc eruimus: Intellectus est potentia à phantasia distincta & agens omni materiali potentia superius, quòd agit sine materialibus speciebus, quibus eget phantasia, concipit enim intellectus solem esse centies sexages majorem terrâ, quam magnitudinem non assequi.

qui phantasiā experientia testatur. intellectus etiam agit reflexive, qualiter non agit ulla potentia materialis. intellectus abstrahit universalia, quod non potest materialis ulla potentia. item versatur homo circa omnia, etiam res spirituales, cognoscendo, quas non attingit materialis potentia, unde etiam Arist. 3. de anim. c. 4. cum Anaxag. ait. Esse intellectum necessariò non mixtum, quòam intelligat universa. Quando vero objicitur, animam spiritus concipere per modum corporum. R. quòd ille, illis materialibus speciebus utatur solùm tanquam scala quā ascendat, non quasi illos tales putet. Probat porrò Arriaga ex inclinationibus contrariis, quas homo habet ad virtutes & vitia, quia hinc sequitur, quòd habeat principium spirituale, quod inclinet ad virtutem; & materiale, quod inclinet ad vitia. Respondet Poncius hanc rationem non sufficere, quia possit homo habere illas inclinationes secundùm diversas considerationes bonitātū, quæ essent in objecto, ut inclinationem ad virtutem, habeat, secundùm quod objectum est bonū honestum, & ad vitia, secundùm quod essent bona utilia: sed contra Poncium nos dicimus, concedendo quod una quædam potentia possit utroque illo modo circa objectum versari, tamen nos duos contrarios appetitus *simul* in eodem momento experimur, qui certè distinctas potentias arguunt, quod verò de eadem potentia objectum est, fit successive.

§. 12. Post demonstrationem sequuntur jam aliæ quædam rationes non contemnendæ, licèt enim non urgeant, rem tamen probabilem reddunt, ita ut imprudenter dissentire videaris, & licet non probent seorsim, probant tamen conjunctim. Prima petitur ex eo, quod ap-

B 3

peti-

petitus omnibus insitus fit à natura. ergo sumus immortales, neque enim talis appetitus insereretur ad illud, quod non exigeretur connaturaliter & quod non deberet haberi à natura nostra, nisi opponeretur aliquod impedimentum. Sed respondent quidam, quòd hæc ratio non videatur sufficere; de appetitu enim innato nobis non constat, an hic nobis insit ad immortalitatem, nisi quæ nobis constat immortalitatem esse nobis connaturalem. Si vero sermo sit de appetitu elicito, certum est, talem posse reperiri in omnibus hominibus ad aliquid, quod nō conveniat ipsis unquam, imo etiam quod non possit competere, modo apprehendatur illud ut bonum & possibile, nam bonum apparens potest movere voluntatem ad desiderium etiam efficax ipsius, ut est extra controversiam. hisce præsuppositis responderi potest formaliter negando consequentiam, ratio patet ex dictis, quia potest esse appetitus elicitus in omnibus ad aliquid, quod nunquam consequi possunt naturaliter. Deinde sequi dicunt ex ea, quod perpetuitas animæ sit possibilis, sed inde non sequitur, quod sit habenda, quia rerum possibilium & quæ etiam connaturaliter exiguntur, multa possunt esse impedimenta, quo minus succedant. Verum instamus nos ad hanc responsionem, concedendo appetitum elicitem ad impossibilia *in aliquibus & inefficacem*, tam universalem verò & efficacissimum in omnibus hominibus frustraneum esse non probabile videtur. Deinde non videtur eadem ratio, quædam enim appetimus per discursum, quia bonitatem vidimus, & illa sæpe sunt impossibilia, at vero immortalitatem appetunt omnes sine prævisa utilitate & hinc desumpto discursu, hinc igitur videtur alia adesse ratio.

§. 13. Alia ratio desumitur ex justo Dei regimine & ex recta Dei providentia, quæ exigit, ut quisque juxta sua opera accipiat vel præmium pro bonis, vel supplicium pro malis, sed in hac vita non semper id præstatur, ut passim videmus, ergo debet in alia, & per consequens anima est immortalis. indecens enim est Deo, ut eos, qui pro tuenda religione, cultu & gloria ipsius se tormentis & ignominiosæ morti obtulerunt, post eam sine præmio ullo relinquat, possent enim illi merito de se dicere: Miserabiliores essemus omnibus hominibus, prout Paulus dixit in simili occasione. e contra vero videmus sceleratissimos homines evehi ad honores, cumulari divitiis, nulla adversitate ad extremum usque affligi, summa denique rerum omnium prosperitate gaudere. & hi si scelerati impunes abirent, sequeretur nullam Rempublicam posse rectè gubernari, sine freno enim supplicii omnes libere post suas cupiditates & desideria contra rationem abibunt juxta illud stultorum: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ. Venite ergo fruamur rosis, antequam marcescant, nullum sit pratium, quod non pertranseat luxuria nostra, opprimamus justum &c. Ergo dicendum est post hanc vitam esse locum præmii & consequenter animam extra corpus durare, esseque immortalem. Accedunt ad hoc argumentum plura alia sat probabilia, & majorem vim probandi huic argumento addit authoritas Chrysostomi serm. 4. de provid. cujus integra verba hic adscripsisse non poenitebit, incipit enim h. m. *Si nihil est post hanc vitam, igitur nec Deus, nam si Deus est, justus est, si justus est, juxta merita unicuique distribuet. At si nihil est post hanc vitam, ubi accipient singuli pro meritis? Etenim multi heic bene habent honorantur q. pravi*

pravi cum sint, alii afflicti antur, cum justitiam colant. Quare si posthac nihil est, emigrabunt justii affecti injuria & iniusti immerita felicitate patientur, ubi obtinebit igitur iustitia? quod si nemo accipiat quæ meritus est, nec secundum se Deus justus est & postea Atqui Deum esse clamitent creatura, igitur & iustus est: quod si justus est, tribuit unicuique id quod justum est. Et si unicuique tribuit, quod est justum, necesse est post hanc vitam tempus esse, quo singuli sint juxta merita accepturi. Cui S. Patri merito calculum nostrum adjicimus, quia si secus sit, janua præcluderetur virtuti & aperiretur sceleri, & commoda ejus recitat Lactantius lib. 3. cap. 17. inquit: Si peritura sunt anima, appetamus divitias, ut omnes suavitates capere possimus. Quæ si nobis desint, ab iis qui habent auferamus vi, dolo & clam, eo magis, si humanas res nullus Deus curat. quandocunque spes immunitatis admiserit rapiamus, nec emamus. Sapiens est enim, malefacere, si & utile sit & tutum, quoniã si quis in cælo Deus est non irascitur cuiquam. Æque stulti est & benefacere, quia sicut ira nec commovetur ita nec gratia tangitur. voluptatibus igitur quomodo possumus serviamus, brevi enim tempore nulli erimus omninò. Sic Lactantius.

§. 14. Hoc argumentum licet satis probabile videatur, tamen quidam illud nondum probare immortalitatem dicunt, & sequentia excipiunt. quod attinet illud quod impii prævaleant bonis, & aliis rebus, objiciunt, quod dicere quis possit, quod pii ex ipsa conscientia vitæ rectè institutæ tantam habeant consolationem interiorum, ut prævaleant omnibus bonis, quibus effluunt impii, quod si hoc ita esset, sufficienter præmiarentur & mali punirentur carentia tantæ consolationis & aliis mentis perturbationibus. & quamvis anima debeat conservari post

post separationem à corpore, ut promeritis castigaretur
& præmiaretur, tamen non sequitur inde, quod sit im-
mortalis, quia præmium & poenæ finitæ durationis v. g.
mille vel bis mille annorum possent sufficere, licet non
in æternum. insuper videtur si quicquam concludat hæc
ratio de hominibus, concludere etiam de animalibus
cæteris, in quibus innoxia & immania sunt, ac nihil esset
causæ, cur, cum ovis placidum pecus lanietur à lupo, sim-
plex & sine felle columba ab accipitre &c. non supersit
utrisque status, in quo innocentibus præmium, nocen-
tibus poena rependatur. Verùm & hisce erit satisfaci-
endum ita: Conceditur quòd virtus per se ipsam bona, &
vitiū per se ipsum sit malū: damus quod conscientia bona
sit quid egregium ac maxime appetendum, tamen hæc
omnia non possunt præmia dici, ut quæ ab alio exsolvi
necesse est. Ac si tandem præmia dicerentur, non tamen
essent sufficientia & æqualia, alias enim sequeretur, quod
nemo ob virtutem præmium aliud, vel mercedem ob la-
borem expetere nec etiam iniusti poenam ullam repor-
tari possent, quia haud æquum est quid exigere vel repor-
tare poenam præter justam mercedem eaque jam solutâ
iniquæ etiam essent omnes leges punitivæ. Præterea si
nuda carentia bonæ conscientiæ & non simul contrariæ
malæ positio intelligatur, negamus simpliciter eam ca-
rentiam quid mali esse seu quid poenæ; sin includatur po-
sitis malæ, negamus in omnibus hominibus pravæ eam
dari, cum quidam eorum moriantur in mediis volupta-
tibus & securitate. Quod attinet ad durationem præ-
miorum & poenarum post vitam, verum quidem est,
quod ratio sibi relicta æternitatem certo vix iuveniat,
quia tamen illa præmia dat & poenas infligit summum

C

numen,

numen, quod ipsum laesum est per actiones malas, probabile videtur pro summo amore quo virtutem prosequitur, illi etiam summa praemia; pro summo vero odio, quo malitiam persequitur, summas adeoque aeternas exoluturum poenas. Bruta quod attinet, illa non agunt moraliter nec bene nec male, adeoque nec laus nec vituperium nec praemium nec poena ipsis debetur, similiter in ipsos non cadit injuria, perinde sicut lapidi nemo injuriam facit, qui ipsum collidit.

§. 15. Argumenta firmiter probantia jactitant quidam sequentia. Licet possibilis sit aliqua forma substantialis, quae independenter à corpore duret aliquandiu non verò semper, possibilis est tamen alia, quae ex se perpetuo petat durare, quia in ea nulla relucet repugnantia aut contradictio, ut per se patet. Sed posita possibilitate talis formae certè rationes supra factas satis ostendere dicunt nostrum animū esse ejusmodi. E. Minor probatur. argumenta enim supra facta probant animam durare aliquandiu independenter à corpore, conservari à solo Deo & non habere contrarium. Ergo ea perpetuo duratura est, quia causis eodem modo se habentibus dicendum, effectum eodem modo conservandum, nisi aliqua experientia aut ratio sit, qua oppositum suadeatur. at in anima nulla est ratio aut experientia, qua probetur eam esse defectibilem. ergo conformius naturis rerum philosophabimur, si illam perpetuo duraturam dixerimus, quia illius causae semper se habent eodem modo, ex quo, si nihil obstat, ut non obstat in animo diximus, sequitur effectum eodem modo semper extitutum. ergo & animam dicunt semper duraturam, ponere eum illam aliquandiu durantem, non vero semper, cum nulla sit adhuc ratio
vell

vel experientia, omnino gratis videri dictum & sine fundamento.

§. 16. Secundum argumentum desumitur ex generali omnium populorum consensione. Licet enim circa statum, quem animæ post mortem induunt aut circa locum, in quo degunt, circumstantiasque cæteras sit discrepantia aliqua, universa tamen conspiratio est, quòd sint à morte superstites. *Quare cum*, ut Cicero dicit, *omni in re consensio omnium gentium lex naturæ putanda sit, oportet profecto immortalitatis sensum esse à natura inditum ac eos abhorrere à natura principis, qui ausint illam diffiteri.* simile est quod idem de natura divina scribit. *Licet multi de Diis prava sentiant, (id à vitioso more effici solet) omnes tamen esse vim & naturam divinam arbitrantur, neque id collocatio aut consensus hominum efficit, non institutis est opinio confirmata, non legibus.* ut proinde firmissimum hoc afferri videatur, cur Deos esse credamus, quod nulla gens tam fera, nemo omnium tam sit immanis, cujus mentem non imbuerit Deorum opinio. Licet vero olim aliqui fuerint aut adhuc aliqui sint, qui negent immortalitatem animæ, non tamen ideo generalis persuasio non est habenda, neque pauci secus sentientes non naturalem faciunt universitatis consensum: ut enim, licet aliqui nascantur unipedes, aut mortem sibi ipsis consciscant, non argumentamur propterea non esse homines bipedes aut prorogandæ vitæ appetentes naturâ; ita quamvis aliqui extent, quibus ratio malè sana mortales animos persuadeat, non idcirco opposita cæterorum persuasio habenda est non naturalis.

§. 17. Probatis hætenus, quæ ad nostræ sententiæ confirmationem fecerunt, videndum etiam quid faciat

C 2

contra

contra nos. ubi quidem tam apud Philosophos quam Theologos multa scripturæ objici solent loca, quib9 suæ cathedræ relictis nos potius quæ ex ratione depromuntur videbimus. Ex professo vero hac in re operosus est Lucretius Philosophus Epicuræus, qui in philosophia sua carminice conscripta rationes affert XXVII. quas ordine ita percurrimus l. 3. ait.

*Principio quoniam tennem constare minutis
Corporibus docui multoque minoribus esse
Principiis factam quam liquidus humora aqua i' st
Aut nebula aut fumus — —
Nunc igitur quoniam quassatis undiq; vasis
Diffluere humorem & latices discedere cernis,
Crede animam quoque diffundi multoque perire
Ocyus & c.*

Sed latere hic falsam hypothefin quis non videt? Falsum enim est animam corpoream esse & ex atomis conflata vel ullo modo se habere, ut vaporem seu exhalationem. Secundo dicit.

*Prætereque gigni pariter cum corpore & una
Crescere sentimus, pariterque senescere mentem :
Nam velut infirmo pueri teneroque coguntur
Corpore. sic animi sequitur sententia tenuis :
inde ubi robustis adolevit viribus ætas,
Consilium quoque majus & auctior est animi vis :
Post ubi jam validis quassatum est viribus ævi
Corpus & obtusis ceciderunt viribus, artus
claudicat ingenium delirat linguaque mensque
Omnia deficiunt atque uno tempore desunt
Ergo dissolvi quoque convenit omnem animæ
naturam & c.*

Hic notamus, falsum esse quod anima ita generetur, ut putat Lucretius. Est spirit9 & creatur, & ita etiam, si interiret, per annihilationem interiret necesse est, non vero
per

per dissolutionem atomorum, ut docet ille. Ex incrementis & decrementis actionum non est colligenda mutatio principii quoad substantiam, ni velis dicere etiam ebrium minorem habere animam, quo tempore etiam est stultus; postea vero prudentia redeunte iterum crescere animam, quod ridiculum, nec ex anima licet facere follem. Varietas ergo in actionibus non sedet in principio, sed potius in reliquis ad ratiocinandum requisitis, sicut obtuso calamo malæ scripturæ culpa non est in scriba, sed in instrumento. illa vero requisita sunt sensus, in quibus omne illud prius est, quod venit in intellectum, quia igitur sensus ob incrementa & decremента organorum non eodem modo exhibent species, nec eodem modo potest anima agere, licet anima in sua substantia semper eadem maneat. Videamus hac de re Ariste lib. de anim. 4. Senectus non ex eo est, quod quidquam passa anima sit, sed quod simile aliquid ac in ebrietate morbisque eveniat, ipsaque intelligendi & contemplandi functio propter aliquid aliud interius corruptum marcescit, cum ipsum interim cuius est, passionis maneat expertus. Pergit tertio.

*Huc accedit, uti videamus corpus ut ipsum
Suscipere immanes morbos, durumque dolorem.
Sic animum curas acres, luctumque metumque.
Quare participem leti quoque convenit esse
Quin etiam morbis in corporis avius errat
Sapè animus, dementit enim de liraque fatur
interdumque gravi lethargo fertur in altum
Eternumque soporem oculis, nutuque cadenti.
Quare animam quoque dissolvi fateare necesse est
Quandoquidem penetrant in eam contagia morbi.
nam dolor & morbus leti fabri. ator uterque est.*

Verum quod attinet ad morbos animi, datur quidem in-

anima etiam tristitia seu averfatio mali ingrati &c. verum non est propriè hoc morbus, qui interimere possit suum subjectum: ipse Deus tale quid habet. Morbos corporis quod spectat, quomodo illi sint in corpore & tamen rationem perturbare possint, dictum fuit antea. Addit.

Denique cur hominem, cum vini vis penetravit

— — — — — madet mens

— — — — — jurgia gliscunt

Cur ea sunt, nisi quod

Conturbare animam consuevit corpore in ipso

Sed neque ipsa mens madet, sed cerebrum ac phantasia cujus proinde nebulosis confusisque speciebus non potest mens ea claritate distinctioneque, quâ prius, uti. Quinto enarrat prolixè quomodo in morbo epileptico desinentia ac animæ vehemens jactatio distractioq; fiat, sed eadem huc facit responsio quæ ad præcedentia, Sexto objicit.

Et quoniam mentem sanari, corpus ut agrum

Cernimus & flecti medicina posse videmus.

Id quoque præ sagit mortalem vivere mentem.

Sed idem respondemus, quod antea, cerebrum nempe curatur ac sensus, non immediatè anima. Amplius instat.

Denique sæpè hominem paulatim cernimus ire

Et membratim vitalem deperdere sensum

Scinditur atqui anima quoniam natura nec uno

Tempore sincera existit, mortalis habenda est.

Verum & hic nobis, qui inter animam materialem & immaterialem realem statuimus distinctionem, facilis est responsio. Non enim sequitur, anima sensitiva ad quantitatem corporis extensa membratim abit. Ergo & anima rationalis. Quin quod sicut generatio ita & corruptio fit in instanti, sic E. etiam anima sensitiva non successivè & membratim sed simul abeat, etiam si actus
secun-

secundus seu sensatio successivè desinat ob vitæ instru-
mentum calorem scil. naturalem, deficiens. Octavo ait.

*Et quoniam mens est hominis pars una loquæ
Fixa manet certo velut aures atque oculi sunt
Atque alii sensus, qui vitamcunque gubernant
Et veluti manus atque oculus naresve seorsim
Secreta à nobis nequeunt sentire neque esse
Sic animus per se non quid sine corpore & ipso
Esse homine, illius quasi quod vas esse videtur
Sive aliud quidvis potis & conjunctius ei
Fingere; quando quidem connexus corpori adheret.*

Sed dispar est ratio, auris oculusque sunt instrumenta
nec sentiunt nisi mota ab alio, secundum instrumento-
rum naturam. Anima verò talis hominis pars non est,
sed ipsum principium sentiendi independens ab alia cau-
sa principali movente. Deinde non facit hoc argumen-
tum ad scopum, quia non est quæstio an anima separata
possit operari, sed an possit esse. Pergit nono.

*Denique corporis atque animi vivata potestas
inter se conjuncta valent, vitæque fruuntur
Nec sine corpore enim vitales edere motus
Sola potest animi per se natura; nec autem
Cassum anima corpus durare & sensibus uti.
Quare etiam atque etiam resoluta corporis omnî
Tegmine & ejectis extra vitalibus omnîs
dissolvi sensus animi fateare necesse est
Atque animam quoniam conjuncta est causa duobus.*

Verùm non est conjuncta seu eadem causa duobus nec
ulla consequentia: corpus interit, ergo & anima, sicut
non sequitur de anima materiali: Anima materialis
interit intereunte toto, ergo & materia. Possunt ergo
duæ partes duas habere diversas naturas, ut una intereat
altera non. Decimò

denique cum corpus nequeat perferre animam

Disci

*Discidium quin id tetro tabescit odore
Quid dubitas quin ex imo penitusque coorta.
Emanavit uti fumus diffusa anima vis &c.*

Sed concedimus quidem quod anima exierit eaque egressa corpus putrescat, quod verò ipsa anima ut fumus fuerit egressa posteaque evanuerit, nulla credere jubet consequentia. Ejusdem farinae est, quando argumentatur undecimo ex deliquio animi, illud enim contingit non ex interitu animæ, sed ex præclusionè spirituum vitalium ac animalium anima adhuc semper superstite. Quod verò miratur undecimo.

*Nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur
ire foras animam incolumem : de corpore toto
Nec prius ad jugulum & superas succedere fauces
Verùm deficere in certa regione locatam
ut sensus alios in parte quamque sua scit
dissolvi*

nam hæc objectio non est Philosopho digna. Si enim anima esset pedibus instructa & alicujus molis, forsan egressum sentiremus & audiremus. Sed talis non est. Imò quis potest dicere quomodo anima exeat, cum post ipsius exitum nemo adhuc sit superstes & unde novit Lucretius? Decima tertia objectio ita se habet.

— — *Quod si immortalis nostra foret mens
Non jam se moriens dissolvi conquereretur
Sed magis ire foras vestemque relinquere, ut anguis
Gauderet, præ longa senex aut cornua cervus.*

Imò verò qui prudentiores moriuntur sic gaudent; qui verò non gaudent ex diffidentia sortis futuræ vel amore præsentis hoc faciunt, hinc etiam multi Christianorum inviti moriuntur, etiam si immortalitatem sibi planè habeant persuasam. Ergò ex absentia etiam gaudii nil colligitur. Concludit decimo quarto.

Cur

— *Cur animi nunquam mens consiliumque
Gignitur in capite aut pedibus manibusve, sed unis
Sedibus & certis regionibus omnis inhaeret
Si non certa loca ad nascendum reddita cuique
Sunt, & ubi quicquid possit durare creatum.
usque adeo sequitur res rem, nec flamma creari in
Fluminibus solita est neque in igni gignier algor.*

Verum nulla est veritas, rem in eodem gigni & in eodem
etiam interire: decimo quinto.

— *Si immortalis natura animi est
Et sentire potest secreta à corpore nostro &c.*

Resp. ab esse ad operari N. V. C. deinde sentire non est a-
nimæ rationalis. Tertio non omnis planè operatio se-
paratæ animæ deneganda: decimo sexto.

— *Et quoniam toto sentimus corpore inesse
Si subito medium celeri præciderit ictu
Vis aliqua, ut seorsim partem secernat utramque
Dispertita procul dubio quoque vis animi.
At quod scinditur & partes discedit in ullas
Scilicet æternam sibi naturam abnuvit esse.*

Resp. hypothesis de divisione & divisibilitate animæ est
falsa: Decimo septimo.

— *Præterea si immortalis natura animi
Constat & in corpus nascentibus insinuat
Cur super anteaetatem meminisse nequimus.*

Sed hæc objectio olet somnia Pythagorica de metempsy-
chosi, quam nos non asserimus. Ejusdem rationis est
decima octava dubitans, quomodo anima cum novo
corpore conjungi possit. Decimum nonum, quod est à
modo egrediendi desumptum, præsupponit animam ma-
terialelem, quæ tamen est hypothesis falsa. Vigesimo ait.

— *Semina præterea linguuntur, nec ne animi
Corpore in exanimis? Quod si linguuntur
Haud erit ut merito immortalis possit haberi*

D

Partis.

*Partibus amissis quoniam libata recessit.
Sin ita sinceris membris ablata refugit
ut nullas partes in corpore liquerit ex se
unde cadavera rancenti jam viscere vermes
Exspirant. Atque unde animarum copia tanta
Ex os & ex anguis tumidos profluctuat artus.*

Sed imbecille iterum argumentum: indivisibilis enim anima nullas reliquias linquit, nec etiam si relinqueret vermes suos exinde haberent animas, ni eas etiam rationales dicere velis. Oriuntur ergo illæ formæ de novo & è potentia materiæ educuntur, alias enim si ab alia anima orirentur, quid de caseo dicendum esset, inque eo vermibus, ille enim sic etiam antea animam habuit. Vigessimum primum urget solum Pythagoricos. Vigessimum secundum ita est:

*Quidve foras sibi vult membris exire senectis
An metuit conclusa manere in corpore putri
Et domus ætatis spatio ne fessa vetusto
Obruat. At non sunt immortalis jam ulla pericla.*

Resp. Anima non est nisi in disposito ubi finem & actiones suas obtinere valet, unde quando dispositiones pereunt, exit anima, quia subjectum non amplius debitas habet dispositiones. Non verò metuet, ne ex ruinis occidatur, quod certè valdè crasse est philosophari. Vigessimum Tertium iterum insultat Pythagoricis. Porro

*Denique in æthere non arbor, non æquore in alto
nubes esse queunt, nec pisces vivere in arvis
Nec cruor in lignis, nec saxis succus in esse:
Certum & dispositum est ubi quicquid crescat & insit.
Sic animi natura nequit sine corpore oriri
Sola, neque à nervis & sanguine longiter esse
Tandem in eodem homine atque in eodem vase maneret
Dispositumque videtur ubi esse & crescere possit
Seorsim anima atque animus. Tanto magis inficiandum
Totum posse extra corpus durare genique*

Quare

*Quare corpus ubi interitū perisse necesse est
Confiteare animam distractam in corpore toto*

Resp. etiamsi natura ordinaverit certis rebus certa loca, non tamen sequitur, quod omnes sint conditionis ejusdem & quod etiam anima in uno semper maneat loco. Locum etiam ubi illæ animæ post mortem existunt, licet nos nesciamus, non tamen ipsa res existens est neganda, quia multa sunt, quæ nos latent. Vigesimo sexto ait.

*Quippe etenim mortale æterno jungere & una
Consentire putare & fungi mutua posse
Desperere cōt: quid enim diversius esse putandum est
Aut magis inter se disjunctum discrepitansque
Quam mortale quod est, immortalī atque perenni
junctum in concilio se vas tolerare procellas.*

Verūm quia Lucretius hic solūm dicit, nihil verò probat, nobis etiam sufficet negare, quod absurdum sit mortale jungere æterno. Discursus enim huc redit, quod nihil sit æternum nisi aut ob soliditatem ut atomus, aut quia plagæ sit expers ut inane, aut quia careat loco in quem excedat ut universum. Animus verò tale nihil sit. Et si quis dicat animam esse adversus contraria munitam, vel quæ contraria veniunt, ad ipsam usque non pertingere, vel si pertingunt antidotum tamen salutemque afferre, id refellant morbi ipsius, metus &c. Ad hoc nos dicimus in sufficienter enumerari æterna & incorruptibilia, siquidem ne ipsius quidem Dei fit mentio, qui tamen etiam est incorruptibilis. Tandem dicit.

*Et velut ante actō nil tempore sensimus agrū
Sic ubi non erimus.*

Verūm nec in hoc ulla est consequentia, potest enim quid oriri quod tamen non habet interitum. Et hæc sunt argumenta eâ qua fieri potuit, brevitate adducta. Plura & proluxiora vide apud Gass. in Phil. Epicuri.

§. 18. Probavimus hæctenus immortalitatem animæ rationalis, restat adhuc, ut probemus, an sit immortalis ex natura, an ex gratia. Ex natura verò immortale dicitur, quod licet possit de potentia absoluta desinere esse sive per corruptionem si-

ve

ve per annihilationem, tamen ex natura sua exigit connaturaliter in perpetuum conservari, adeo ut miraculosum esset, si desineret unquam. Ex gratia verò quod alias interiret etiam servaro concursu Dei generali vel saltem sit aptum ad intereundum, sicut se habent composita & formæ materiales, quæ opus exinde habent speciali Dei concursu & speciali gratia ad sui æternam conservationem sive durationem, qualem durationem seu æternitatem precariam seu gratuitam vocant.

§. 19. Animam rationalem esse immortalem ex natura probatur: Quodcunque ex propria natura est spirituale, illud etiam ex propria natura est immortale. Atqui anima rationalis ex propria natura est spiritualis. Ergo quoque ex propria natura est immortalis. Major probatur, quia spiritualitas est veluti à parte rei ipsa immortalitas, solumque differt ab hac ut ratio à priori, sicut in divinis se habet immutabilitas ad æternitatem & in homine ad risibilitatem rationalitas. Minor non potest negari, quia ipsa non solum de fide certa est, sed etiam ex ratione, suadentque ipsam satis operationes spirituales, ut visum supra. Et probat hoc concilium Lateranense sub Leone X. sess. 8. ubi definitur hæc veritas his verbis: damnamus & reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse &c. probat hoc porrò consensus communis & possibilitas alicujus formæ, quæ sit ex natura sua immortalis, hinc etiam deducitur, quod si sit aliqua forma talis possibilis, quandoquidem forma quæ de facto est, sit immortalis, quod debeat dici talis ex natura sua, quandoquidem enim Deus statuit producere formam, quæ esset immortalis, potius videtur congruum, quòd produxerit illam quæ sit talis ex natura sua, quam quæ nō sit. Pugnant etiam pro hac sententia ex parte rationes supra adductæ.

Ipsè immortalis fies, si talia perges.

Ita ominatur Dn.

Respondenti

PRÆSES.

FINIS.

05 A 892

ULB Halle 3
003 768 651



1000







I. N. D. N.
DISPUTATIO METAPHYSICA
De
ANIMÆ RA-
TIONALIS IMMOR-
TALITATE,

Quam
in incluta Academia Salana

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Amplissimi atque Excellentissimi

DN. M. GOTTFRIDI ZAPFFII,
Philosophiæ P. P. Extraordinarii, Dn. Præ-
ceptoris omni honoris & observantiæ cultu
prosequendi,

Publico Eruditorum Examine

exponit

JOHANNES BUCHIUS,

Serveſta Anhaltinus,

AUTOR.

In Auditorio Philoſophorum

Ad d. 28 Maji

H. L. Q. C.

JENÆ

Typis NISIANIS,
M. DC. LXI,

